

*flabelli-
forme.*

CYMBIDIUM, acaule, compressum; foliis basi attenuatis carinatis, superne planis ovato-lanceolatis, nervosis, scapis abbreviatis unifloris.

Epidendrum flabelliforme. Prodr. p. 123.

Provenit rarius in Arboribus Montium *Jamaicae*. 4.

Radices simplices, crassae, longae, teretes, albae, nitidae.

Folia omnia radicalia, in formam flabelli disposita, lateralialia minora, vaginarum instar amplectentia, compressa, carinata, basi membranacea, apice concava, acuta. *Media* elongata, plus quam pedalia, erecta, basi in petiolum quasi attenuata compressum carinatum, inferne vaginantem; superne patula, plana, ovato-l. lato-lanceolata, acuta, integra, longitudinaliter nervosa, utriusque glabra.

Vaginae seu basis foliorum, teretiussculae, carinatae, rigidae, margine membranaceae.

Scapi radicales, e sinu vaginarum extimarum, foliis mediis multo breviores, erecti, crassius-

Bbbbb



culi, teretes, glabri, uniflori; vaginis aliquot ad basin cincti.

Bracteae duae spathaceae, ovatae, acutae, cingentes sub flore breviter pedicellato, magno.

Petala 5, subaequalia, pollicaria, ovato-lanceolata, acuta, lineato-venosa, concava, alba, subcarnosa, persistens; interiora margine undulata.

Labellum petalis conforme, patens, ante columnam bicarinatum, marginibus ad basin erectis, undulatis; apice planiusculum, acutum.

Columna petalis multo brevior, gibba, antice concava, basi antice parum prominens apice biloba, excavata, pro *Anthera* magna, biloculari.

Capsula pedicellata, sesquipollicaris, oblongata, paullulum incurva, trigona, sexfulcata, glabra.

Semina — arillo albido, diaphano.

Obs. *Epidendrum sessile* Prodr. p. 122. est varietas *E. coccinei* L. corollis dudum defloratis fructibusque semimaturis tantum observata. Ergo e coetu novarum specierum exterminandum. *C. flabelliforme* *E. coccineo*, (Cymbidiis etiam adjungendo) habitu quidem accedit; id vero foliis lineari-lanceolatis enerviis, pedunculis seu scapis brevissimis diversissimum est.